

4901
D. D.
1823

C E R V U S R H E N O ,

QUEM,
DISSERTATIONE ZOOLOGICA
DESCRIPTUM,
VENIA EXPERIENTISS. FACULT. MEDICÆ
IN ILLUST. AD SALAM SVION. ATHENÆO,

SUB PRÆSIDIO
VIRI NOBILISSIMI,

Dn. DOCT. CAROLI LINNÆI,

SÆ RÆ M:TIS ARCHIATRI,
MED. ET BOTAN. PROF. REG. ET ORD.
EQUITIS AURATI DE STELLA POLARI,

Nec non

ACAD. IMPER. N. C. MONSPÆL. BEROL. TOL. UPSAL.
LOND. HOLM. SOCII ET PARIS. CORRESPOND.

NATURÆ CURIOSIS VENTILANDUM SISTIT
CAROLUS FRID. HOFFBERG,

STIPENDIARIUS POSSIETHIANUS,
STOCKHOLMIENSIS.

IN AUDIT. CAROL. MAJ. AD D. XXIII. OCTOBR.
ANNI MDCCCLIV.

H. A. M. S.

UPSALIÆ, Exc. LAUR. M. HÖJER, Reg. Acad. Typ.

PROBSEN och KYRKOHERDEN

Wid Ålems Församling i Calmare Stift,
Högårewördige och Höglärde

Herr Mag. ANDERS SVEBILIUS,

Höggunstige

Jdyre Herrans Män, som Själa hjordar be-
ten,
Och dem till saligt gagn, utwidare Himlens
läf,
Som med altvarligt nit de spridda får upp-
leten
Och lären riktig väg till Zions helga
häf;
Beskrifning om den Hjord jag wörd/amt Eder gif-
wer,
Som norra Fjällens Folk kring sina parcker drif-
wer.

Högårewördige och Höglärde

ödmjukaste

CARL FREDRIK

PROBSTEN och KÝRKOHERDEN

Wid Bollnás Fórfamling i Hellsingland,

Högårewördige oeh Höglärde

Herr Mag. OLOF BERGMAN,

Gynnare.

Fast De ett ringa hus och vårma få af solen,
Fast är en ewigInd betäcker Deras fjäll,
Fast i en ständig flygt De wanka under polen;
Så grönsta nöjen dock kring Deras låga tjäll.
För Dem fins ingen ting till daglig nødorft tryta;
De kunna af sin bjord och glada lefnad skryta.
Upptagen wärde Mån! med wanligt ådelt sinne,
Att jag Er lämnar här så ofullkomlig skrift.
Er godhet bar jag gömt med flit i ewigt minne,
Ej kunna blotta ord förklara all dejs drift.
Så länge liflig blod i mina ådror rinner,
Min wördnads-ela för Er i tack/samt hjerta brinner.

Herrar PROBSTARNAS

tjänare,
HOFFBERG.


HOESTEN op KIRKORDEIN
Hijt pallen Tschuine en heijt gijp

E C M H



HET LROSTAVANAS

HOESTEN



Q. F. F. Q. S.

PRÆFATIO.

P

Aucissimæ per terrarum orbem re-
giones occurunt, aut caloris, aut
frigoris vehementia adeo infesta-
tæ, ut homines eas habitare, vi-
tamque in illis sustentare nequeant.
Vastissima deserta Zonæ torridæ,
propter aquæ penuriam quasi adu-
sta, Pomonæ ac Cereris ministe-
ria quidem recusant, ita tamen
sterilia non sunt, quin Pasto-
res greges suos etiam in his possint alere. Et quam-
quam letas segetes opimamque messem in horrea collige-
re, illis non licet, qui intensissimæ Zonæ frigidæ hieme
vexantur, aut in Alpibus, quæ sub calidissima etiam Zo-
na, gelu rigent, sedes & domicilia collocarunt; pecuarie
tamen rei feliciter operam dant & armentorum opibus
aluntur. Operosum nimis foret, adcurate instituta com-
paratione pronuntiare, utrum feliores censendi sint,

A

qui

qui ardantis solis calori exponuntur, an qui gelu undique & altis nivibus obruuntur. Homines, qui olivas premunt & uvas calcant, infelices judicant utrasque illas Gentes; mihi vero arduum videtur & perdifficile voluptates atque otia Pastoritiae vite cum labore & sudoribus Agricolaram ita conferre, ut satis pateat quodnam ex duobus vite generibus sit alteri præferendum. Largior equidem Pastorem macilentum esse, pinguem contra & obesum agricolam; at est ille tamen liber sui dominus, dum hic contra quotidiane servitutis jugo atteritur & redeuntium quotannis laborum continua serie distinetur. Namque agros hic sepibus muniet, proscindet, resulcabit, stercorabit, occabit, lirabit, conseret, inarabit, complanabit, runcabit, frugum manipulos colliget, exsiccat, inferet, flagellabit, granorum acervos ventilabit & frumentum tandem dimetietur; atque in his omnibus summa licet adhibita diligentia & opera, vel tota vel quod ad partem sepius irrita spes cadit, si intempestivum gelu, humiditas nimia, siccior tempestas, grando, imber, ventus, maturitas celerior, mures, aves, insecta, aliisque haud prævisi casus ingruerint. Ut reticeam frumenta vannandi, cribrandi, siccandi, molendi necessitatem, ceteroru[m]que laborum articulos, quibus toto anno Cereris cultores fatigantur, ut solum panem obtineant. Secus fentiendum de vagante, quorsum libuerit, Pastore, qui absque aratro & labore vivit, cuique aliud fere agendum nihil est, quam ut tibialis ludat, ceterisque, dum in opimis pascuis sua comitatur pecora, innocentis vite oblectamentis fruatur. Hinc, quoniam nullius ille rei magnopere appetens, animo tranquillo ætatem dedit; dum prementibus sub curis & molestiis quotidie gemit Agricola, mortalium antiquissimi ad ætam argenteam, hoc est beatiorem, pastoritiae vite genus retulerunt.

Gentis,

Gentis, quæ terram sub gelidissima Arcto habitat,
 pecuaria res omnis ab animali pendet, quod Rheno vel
 Rangifer vulgo appellatur, totaque illius Gentis cœco-
 nomia & vivendi ratio eo nititur. Felicitatem hujus ter-
 ræ & incolarum qui cognoscere voluerit, ante omnia
 sibi naturam & indolem familiarem reddat Animalis,
 quod australibus in partibus Europæ, immo Patriæ etiam
 nostræ insolens, & minus frequens solet occurrere. Amo-
 re igitur adductus quo feror in Historiam naturalem &
 præcipue Zoologiam, Animal hocce potissimum mihi de-
 scribendum elegi, qualemque editurus specimen; neque
 rem actam me acturum arbitratus sum, si de Animali a-
 gerem, quod a Scheffero quidem & ceteris, qui histo-
 riæ Lapponicæ traxerint, non adeo sufficienter descri-
 ptum est. Varia de natura hujus Animalis in Flora Lap-
 ponica exposuit Nob. D. Præses, & Itinerarium Lappo-
 nicum a Se confectum in Manuscripto adhuc latens, me-
 cum perbenigne communicavit, ut ex illo colligerem,
 quæ ad hoc argumentum spectant. Hæc pro meo modu-
 lo in ordinem cum illis, quæ mihi met ipsi observare li-
 cuit, redigere conatus sum. Si Historia succincta Alcis,
 quam dudum Leopoldus dedit, meruit applausum eru-
 dii orbis, spero me non displiciturum eruditis, si Ani-
 mal Alci proximum exposuero.

§. I.

N O M E N.

RHENO ab antiquis etiam *Rangifer* & *Tarandus* nun-
 cupari sivevit: Synonyma ejus sunt:

CERVUS cornibus ramosis teretibus; summitatibus pal-
 matis. *Faun. Svec.* 39.

Gesn. quadr. 130. *Rangifer.*

Aldr. bisulc. 859. **Tarandus.**

Jonston. quadr. t. 39. **Cervus palmatus.**

t. 35. **Cervus mirabilis.**

t. 34. **Tragelaphus.**

t. 34. **Hippelaphus.**

Olear. mus. 16. t. 10 f. 3. **Rhangifer.**

Raj. quadr. 88. **Cervus Rangifer.**

Charl. onom. 9. **Rangifer & Tarandus.**

Svecis Rhen.

Lappis Boëtsoi.

§. II.

GENUS.

Quod Rheno sub genere *CERVI* militare debet, adeo manifestum est & liquidum, ut ea de re dubitare nemo umquam possit. Absentia enim primorum dentium in superiori maxilla, satis superque ostendit ad *Pecora* eum pertinere. *Cornua* vero, quæ polyporum instar excrescent, in apicibus primum mollia & tota quanta obducta hirta cute, deciduaque ut induruerunt ipsa cornua, quæque pariter quotannis decidunt & renascuntur, affinitatem proximam Rhenonis cum Cervo evidenter demonstrant.

§. III.

SPECIES.

Species hec a congeneribus difficillime distinguitur, ita ut alia haud facile occurrat differentia, qua a reliquis *Cervis* distinguatur, quam quæ cornuum a structura defunitur. *Cornibus* enim & mares & femine inter *Rangiferos* instruntur, quum in aliis Europæis *Cervis* observentur semita cornibus plane carere. Præcipua autem differentia species Rhenonis in eo consistit, quod, cornua ejus raniosi, truncò non compressa, ut in *Damis*, sed summitatibus tantum palmata sint, quodque anticus

ticus insuper ramus, ad basin supra frontem exsertus, idem palmatus sit & in ramulos compressus.

§. IV.

LOCUS.

Solum natale Rhenonis præter Asia & forte America boreales partes, in Europa præcipue est Lapponia. Dividitur autem Lapponia in Alpinam & Silvaticam. Alpes illæ vastæ, Svecis Fjellen, a Norvegia Sveciam determinant, & ad Russiam usque versus Mare album extenduntur saepe ultra 12. millaria in latitudinem. Altera s. orientalis pars, Silvatica est & distinguitur a finitimis Norrlandie provinciis Silva (a) Ispidoſſima, steriliſſima, arboribus antiquis acifoliis dense tecta, eo in primis singularis, quod Pinetum maxime unicolorum Lichenem filamentoso copiosissimo nigricat, dum terra subjacens nivea appareat, Lichenibus albis obducta. Inter hanc silvam & Alpes interjecta regio, Lapmarchia silvatica, L. deserta Sv. Lapmark appellatur, quæ ad XXX vel XL millaria in latitudinem diffusa horret inulta Silva, campis arenosis, siccissimis, planis, iisque variis, interstinctis vastis paludibus, meritisque assurgentibus. Per hunc aspergium tractum, in primis ubi fulmine aut fortuito incendio vastatus fuerit, terra insecunda candidum producit Lichenem rangiferinum, qui etiam humiliæ tegit Alpium declivia. Iaque astivo tempore versatur Rangifer in Alpibus, supremo sub aere, inter annas nives & perpetuos ventos, quo non calor tantum & densitas pellis eum ducit atque allicit, sed & cogunt Insecta diptera, Culices, Tabani & in primis Oeglia. At hiene, hospitium ei amplius præbere nequeunt,

(a) Fl. L. pp. p. 346.

unt aërei & gelidissimi montes, sed ad Deserta iterum revertendum est & inter Lichenes esca quærenda.

§. V.

DESCRIPTIO.

Rheno cicur, a calce ad extremitatem dorsi plerumque est ulnas $1\frac{1}{2}$ altus; longitudo ejus a cornibus ad caudam ulnae 2; ab umbilico, ad spinam dorsi ulnae $\frac{3}{4}$.

Pilos, qvum primum deposuit, fuscus est, quo propius autem advenerint caniculares dies, incipit cænescere, donec colorem albo quam proximum obtineat. *Oculorum* regio semper nigricans. *Collum* subtus pilis longioribus, quam in reliquo corpore hirtum est. *Os* albicit, ut & *Cauda* cum perineo & abscondita regione ani. *Pedes* ubi inseruntur ungulæ, albo quodam annulo cincti sunt. *Pili* in corpore tam dense stipantur, ut si studiose separare annitaris, cutis nusquam nuda appareat; quapropter etiam, ut in reliquis Cervis, erecti, licet multo densiores, exstant; qvumque quotannis cadunt, non diffluunt soluta basi, ut in aliis quadrupedibus, sed reapse in fragili basi abripiuntur.

Cornua ad ulnam $1\frac{1}{4}$ in longitudinem extenduntur, in medio recurva, terteria cum brevi ramo in postica parte; *Summitates* compressæ & plurimis digitis palmatae. Ante frontem ramus unus, raro duo, e basi fere, cornu recti prominent, capitib saepè longitudinem æquantes, apice compressi & in plures ramulos divisiti. In summitate a se invicem distant cornua spatio æquali ei, quod eorundem efficit longitudo. *Feminis*, cornua sunt ejusdem structuræ cum mariibus, minora tamen, tenuiora & minus ramosa. *Cornua*, qvum verno tempore erumpunt, mollia sunt instar polypi, & eodem modo ac reliquum corpus, cute atque pilis obducta;

cta; In apicibus crescunt, non in basi, ut aliis pecori-
bus soleme est; Intus plurimis constant vasculis sanguini-
feris, eorumque apices sensu exquisitissimo gaudent, ut
ne levissimum quidem attactum ferant; at circa auctu-
mnum, postquam induerere ipsa cornua, nondum incep-
to veneris aestu, rumpitur cutis & decorticantur cornua.
Mas cornua amittit diu post aestum: femina ad initium fer-
me veris retinet. Nares sunt oblique oblongae. Un-
gulae ratione reliquarum corporis partium sat ma-
gnæ, interiori latere excavatae, ut extremitates margi-
ne se invicem contingant.

Cauda vix ad ulnae quartam partem excrescit.

Præputium maris propendens, cylindricum, duos
pollices longum.

Mammas femina IV. habet veras, II. spurias.

Rhenones feri, qui suæ spontis sunt, cicuribus eva-
dunt multo majores, quemadmodum feri boves seu Uri,
guibus tauri multo cernuntur & mansuetiores & minores.

§. VI.

C I B U S.

Æstivo tempore, dum in alpibus versantur Rangiferi, variis vescuntur vegetabilibus; intacta vero quæ solent relinquere, hæc sunt:

<i>Anthoxanthum odoratum.</i>	<i>Paris quadrifolia.</i>
<i>Dactylis glomerata.</i>	<i>Andromeda cærulea.</i>
<i>Avena pratensis.</i>	<i>bypnoides.</i>
<i>Convolvulus arvensis.</i>	<i>Arbutus alpina.</i>
<i>Chenopodium Bonus Henricus.</i>	<i>Alpine media.</i>
<i>Parnassia palustris.</i>	<i>Filipendula Ulmaria.</i>
<i>Erica vulgaris.</i>	<i>Potentilla Anserina.</i>
<i>Vaccinium Myrtillus.</i>	<i>verna.</i>
<i>Vitis idea.</i>	<i>erecta.</i>
<i>uliginosum</i>	<i>Dryas octopetala.</i>

Actea

<i>Actaea spicata.</i>	<i>Serratula arvensis.</i>
<i>Aconitum lycoctonum.</i>	<i>Tanacetum vulgare.</i>
<i>Anemone Hepatica.</i>	<i>Artemisia Absinthium.</i>
<i>Ranunculus acris.</i>	<i>Tussilago frigida.</i>
<i>Caltha palustris.</i>	<i>Erigeron acre.</i>
<i>Trollius europeus.</i>	<i>Satyrium viride.</i>
<i>Stachys sylvatica.</i>	<i>nigrum.</i>
<i>Antirrhinum Linaria.</i>	<i>Serapias Helleborine.</i>
<i>Pedicularis Sceptrum caroli.</i>	<i>Cypripedium Calceolus.</i>
<i>palustris.</i>	<i>Carex vesicaria.</i>
<i>Linnea borealis.</i>	<i>Pinus silvestris.</i>
<i>Thlaspi arvense.</i>	<i>Abies.</i>
<i>campestre.</i>	<i>Myrica Gale.</i>

ut observavit & in sua *Jemtlandia memoriae* prodidit Exp.
D. D. Hagström.

Per hiemem varii quidem Lichenes nutrimento sunt Rangifero, primarium vero pabulum ei præbet *Lichen Rangiferinus* (a), cuius duæ obseruantur varietates. Una quæ *silvestris* appellatur, valde frequens in sterilissimis Lapponiæ desertis & præcipue in campis ejus arenosis & glareosis, qui nivis instar albi ex eo lucent, quemadmodum similiiter paludes cespitum plenæ in hac regione vastissimæ & rupes aridas ejusdem albedine incanæ redduntur. Altera heic quoque, licet minus ubiqui frequens, invenienda varietas, quæ implicatis ramulis major exsistit, *alpinus* dicitur, propterea, quod ubi arbores exuerint Alpes, tota terra hoc Lichene con tegatur, qui tamen in altissimis earum cæcuminiibus vix reperitur. Quando nimis luxuriant silvæ, ipse Lappo, nisi fulminis tactu comburantur arbores, eas ultro forte accedit, quippe quum probe norit, consumitis ita ab igne vegetabilibus pinguiorique humo, in ea quæ relinquitur sterili & exsucca terra, rangiferinum Lichenem fir-

mas

(a) *Fl. Lapp.* 333.

mas denique radices acturum & se multiplicaturum, etiam si VIII. vel X. annorum moram requirat, antequam in justam statutam adoleverit. Felicem se iudicat Lappo, cui ampla sint & hujus Lichenis feracia deserta; tum enim haec prata ejus, quasi nivibus ubique obducta nitent; nec ingruente hieme ei opus est in horreis collectum habere frumentum, quod haud facile gustant Rangiferi, nisi forte Equisetum fuerit Fl. Lapp. 393; sed perrumpunt haec pecora nivem veluti sues pascuum mollius, & sua industria optimum sibi colligunt pabulum: nimirum quo glacialis crux, quæ nivem superius contegit, illis impedimento non foret, cutem duram & arcte corpori adfixam, in fronte, naribus & pedibus sapientissimus nature Auctor tribuit, unde etiam ex his partibus rangiferini corii conficiuntur tenacissimi illi calcei, quos in pretio habent Lappones. At si acciderit, quod tamen rarius solet evenire, ut irruat hiems (a) cum pluvia, quam gelu mox indurat, terra crux glaciali obducitur omnis, antequam nix deciderit, in ea delitescit Lichen hicce, summaque adeo calamitas oritur Rangifero & annone intelix caritas Lapponi; qua in necessitate, aliud huic reliquum nihil est, quam ut vetustas pinus, Lichenibus filamentosis gravidas, securi succidat, parum licet sufficientibus, si major grex fuerit, fame maximam partem peritrus.

Quum autem, ut patet ex iis, quæ commemoravimus, ipse sibi escam querat Rangifer, non necesse est Lapponi, ut hiemale pabulum illi colligat, sed ut cum grege suo quotannis & quotidie, non æstate solum, verum hieme pariter, die nocteque, vastissimis in filvis, intensissimo licet frigore, immo sub ipsa bruma oberrare oporteat. Periret tantis difficultatibus vexandus Pastor, nisi natura largiente haberet solita, quibus eructus omnia

B

vincas

(a) Fl. Lapp. 347.

vincat. Splendent longam per noctem sidera & ipsa nix demissos cœlo radios reflectit. Chasmata omni nocte mille figuris cœlum & æra illuminant. Vester e pellibus hirsutis rangiferinis confectæ, manicæ item & calcei ex eadem materia facti, hique *Carice vesicularia* Fl. Lapp. 330 repleti, eum immunem servant contra vī omnem frigoris. In ipsis nivium acervis quiescit Pastor oberrans per deserta silvarum, fumo tabaci se oblectat, dumque canibus cum suis ludit, æque contentus & animo tranquillo vivit, ac Titurus olin sub fagi tegmine, licet nos quidem horrore percutiamur, si vel fando alicubi audiverimus, quanta in vehementia frigoris veretur; adeo a teneris adficerere, multum est.

§ VII

Dividuntur vulgo Lappones in Alpinos & Silvaticos, quibus accedunt sic dicti Mendici, extra Lapponia nati in silvis oberrantes, nullo licet modo confundendi cum genuinis illis Lapponibus, utpote quum ab his non vitæ solum genere, sed & mixtione sœpè numero cum aliis nationibus se magnopere alienarint. *Lappones Alpini* certas sibi tributas in Alpibus habent terras, in quibus aestate vitam agunt, duarum sœpe aut trium casarum juncta societate. Hi fere semper tranquillo hilarique sunt animo, maiores habent greges & circa autumnum coguntur in Desertis migrare, ut totam per hiemem verentur inter Silvaticos; nam Mensibus Decembri, Januario & Februario, nullum in Alpibus animal sustentare potest vitam, nisi fuerit *Tetrao Lagopus alpinus* Fn. Sv. 169. *Mus norvegicus* Fn. S. 16. *Vulpes alba* Kalm. it. bahus. 236, ipse enim *Passer nivalis* Fn. Svec. 194. necessarium habet sibi mitius clima querere. *Silvatici Lappones* suas sibi proprias in Desertis inhabitant terras, remotis plerumque a se invicem casis, ut unam iuxta alteram

teram rarissime invenias ; minorem possident hi Lappones copiam Rangiferorum , & aestate in magnis fluviosis hujus terrae frequenti se piscatu alunt , pauperes ut plurimum , animoque tristes & melancholici , quum solitariam degant vitam . Nunti quam fere Alpes petunt , nisi forte plures Rhenones quispiam habuerit , quod tamen rarius contingit . Quum enim Alpinus trecentos vel quadragecentos ; immo mille interdum possidet , Silvatico contra ultra centum vix adsunt .

§. VIII.

Ceterum soluta in Desertis nive , & qua partem etiam liquecente in Alpibus circa solstitium aestivum , calor in Desertis vehemens incipit urgere , tumque simul durissima , qua Lappones vexantur calamitas , Culicum petulantia increbescit . Ingentes per hiemen in Alpibus coacervatae nives , usque a glacialibus altissimis jugis incipiunt liquefcere , diffluere & congregari , unde amplissima , copiosissimaque flumina inundantur ; magna simul pars hujus aquæ , in terram se insinuat & convallibus excipitur , unde stagna , paludes & fontes efficiuntur plures , quam in alia , mihi quidem nota , regione . Illas igitur paludes , commodissimas veluti sedes , occupant Culices , quos ova sua stagnanti aquæ immittere , vitamque in ea maximam partem agere sub forma larvarum & puparum , Natura jubet ; unde etiam tam immensam eorum multitudinem Lapponia progignit , ut major in alia parte orbis forte nulla reperiatur ; quum aestivo tempore transmutatae , e stagnis evolant , aerem pulveris instar implent , adeo ut Lappo in desertis sub dio constitutus , faciem & manus , liquida pice , cui plerumque lactis aquilid admixtum est , inungere quotidie necessum habeat , ne ab hisce Insectis corrodantur . Vix ei sub dio loqui licet aut hiscere , quin nares & fauces ejus intrent , nec

in casa sua, eorundem ab injuria tutus est, nisi ex putridis truncis & caudicibus perennem focum struxerit, cuius fumo copiose per casam disperso, detestabiles sibi Culices abigat. Neque tamen ita nocet Lapponi famelica ista turba, ut in Naturae universae administratione non aliqua ex parte plurimum illi subserviat; atque me iudice fame perirent Lappones facile omnes, si perirent in ejus patria culices. Etenim Aves aquaticæ omnes (excepto *Colymbo minori* Fn. Sv. 123, qui, in modum Hirundinis fundo lacuum sese immergit, & ad initium usque veris ibi suffocatus latet,) relinqunt circa auctumnum suos lacus, jam glacie tegendos, & ad loca meridionalia contendunt; at primo iterum vere, densissimis agminibus, nostrum supra horizontem videntur eas versus septentrionem pergere, donec subsistant maximam partem in Lapponia, ubi victimum abundantissimum, innumeris ex larvis & pupis culicum, altrix paravit Numinis munificentia. Haec aves ob calorem, quem plumulae, inter pennis ubique interjectæ, generant, non ferunt aestum regionum meridionalium, adeoque, ad boreales frigidas plagas pelluntur. Quum sint polygamæ, nullam feminis in excludendis ovis & alendis pullis opem ferunt mares, adeoque necesse illis est, postquam ova texerint plumulis, quas per aestate deponunt, ab ovis tantisper divagari, dum escam querant, immo illis necesse est, alimentum in promptu habere, quantum sat non sibi tantum fuerit, sed & pullis suis recenter exclusis, iisque bene multis, quod etiam in aquis his, ex culicum pullulis ubique inveniunt. Sic etiam Tetraones, quibus heic est patria, quæque ad multa usque milia, ne dicam myriadas quotannis capiuntur & Stockholmiam missæ divenduntur, horum inquam pulli, maximum partem Culicibus nutriuntur ad auctumnum usque, ubi baccas invadunt Vaccinii, Myrtilli, Vitis idææ & Juniperi. Tum vero laqueis a Lappone ea in copia occidunt-

elduntur, ut auctumnale ejus alimentum conficiant, quemadmodum ovis aquatilium avium verno tempore saginatur. Prætero pisces, quos in fluviis & lacubus Lapponiæ vastissimis, copiose capiunt Accolæ, quibusque escam suppeditant iidem illi Culices, qui Rangifero tantam exhibit molestiam; nempe hirsuta Rangiferi cornua, quæ verno tempore excrescunt, continue punguntur & mordentur a Culicibus illis non minus, quam a Tabanis, nec ulla ab Oestris ei quies relinquitur. Redeunt igitur Rhenones quotidie ad casam Lapponis, ubi Agaricos arborum accedit, quo eorum perpetuo fumo, aliquo saltem momento a suis insectatoribus liberetur. Dein discedentes a casa Rhenones, postquam fumum excepere, & ubera præbuerunt, in Alpium summa juga contendunt, ne ab Oestris conficiantur. Namque in summis cacuminibus Alpium, ubi rigidum perennat gelu, venti continuo fere sœviant, dumque aér se comprimit simul super altissima juga, difficilius versari ibi possunt insects. Verum quidem est, in Alpibus etiam reperiri Culices, & ejusdem pariter generis, quo vexantur Deserta, at maiores illi sunt, nec poros inquirunt dum pungent, sed cutem mox solum perstringunt. Observantur etiam minori in copia, & fere Alpium in vallis, ubi tranquillus est aér inter frutices & rupes, hincque facile evitandi a Rhenone, qvum loca celsiora petit.

§. IX.

Gravissimum incommodum Rangifero adfert *Oestrus rangiferinus*, a Nob. D. Præside variis in locis (a) descriptus & *Curbma Lapp.* appellatus, quem præ alia calamitate reformidat Rheno. Ex ovo in dorso ejus deposito, generatur hoc Insectum, & æstate media, dum pilos mutat, e dorso ejus elabitur; qvumque hoc tempore alii non reperiantur in Desertis Rangiferi, quam quos possident

pau-

(a) *Fl. Lapp.* p. 360. *Fn. Sv.* 1025. *Aet. Ups.* 1736. p. 31. *Aet. Holmeni.* 1739. p. 121.

pauperes, qui, ob paucitatem gregis, opere pretium haud
ducunt, eos in alpes ducere, patet evidenter, in Alpibus
Oestrorum majorem, quam in Desertis, apparere nume-
rum oportere, quatenus scilicet ibi, Rangiferi sint plures (a).
Ut primum prodiit Oestrus, volitat supra Rhenonem, u-
nica intentus, ut ovum deponat inter erectos pilos; Rhe-
nones contra aleso prudenti percancelluntur metu, ut si vel
mille sint congregati, singuli iactent cornua & quatiunt
totum corpus, ubi unica modo debilis & inermis musca
adfuerit. Quoniam vero vituli, primo vere non mu-
tant pilos, sed hos decumbentes gerunt, nullum potest
inter illos cadere ovum, & propterea secundo vere de-
flituuntur ulceribus, quae ad latera spinæ dorsi generan-
tur a latitantibus cestris; persistentia vero in dorso ova
illa, & exclusa, cutem perforant, & Rangiferum secundo 3:
potissimum anno emaciant & conlumunt. Ex his quo-
que est, quod pelles Rangiferinæ in dorso plurimis sca-
teant cicatricibus.

Quum æstivo tempore a casa sua, ubi Rhe-
nones mulserat Lappo, in pascua eos ducet, ma-
gna inter eos & canes, quos excitat Pastor, oritur con-
troversia. Rheno enim contra ventum, altissima Al-
pium perennique nive obbuclata cacumina petere nititur,
ibique jejonus totam peragere diem invult, quam cœ-
stris conflictari. Lappo vero eos in copvalles cogit, ne
nimium discurrant, nulla habita ratione Oestrorum,
quos parum intelligit. Nullum gregi suo stabulum ex-
struit Lappo, nullum, ut commemoravimus, illi collig-
it in hiemem pabulum, sed die nocteque totum per an-
num cum illo oberrat, statim licet servatis vicibus, qui-
bus ab uno in alterum pascendi labor transit. Lapponum
singuli suum habent canem, qui incitanti domino paret,
optimeque novit coercere pecora, ne dissipentur, aut
a pastore longius secedant. Cornices prosequuntur Rhe-
nonem, ut Oestra dorso inherentia extrahant & deglu-

(a) Cfr. it. Weltg. p. 202. tiant,

tiant, quod quamvis Rheno non facile admittit, fatigatus tamen, ferre saepius coactus est, ut mihi narravit *Dn. Er. Fjellström*, in Lapponia ipse natus.

§. X.

Femina parit in medio mensis Maji & lac præbet a d. 24. Junii, usque ad festum Michaelis vel medium Octobris. Matutino & vespertino tempore quotidie per totam æstatem ad casam gregem ducit Pastor, exeunt domestici, funiculum longissimum ita convolvunt, ut ambos ejus terminos manu teneant, illoque in Rhenonis feminæ collum injœcto, ad se se trahunt, tractamque mulgent. Quælibet libram circiter lactis præbet. Postquam Rhenones ita mulxit Lappo, excrementa in terram delapsa, ancilla colligit, hisque ubera inungit, ne latenter vituli; hæc dein siccantur & absterguntur, dum proxima vice mulgeatur femina. Singulari amore vitulum Mater prosequitur, siue eum forte amiserit, variis in locis querit & saepe ad casam decurrit, porcæ instar grunniens, nec quiescit, priusquam recuperet. Raniferinum lac, bubulo magis tenue videtur esse, at validius & saporis fere sebacei. Lac nuper emulsum & in lebete calefactum, coagulatur ope coaguli, quod e vitulis, vel mactatis, vel casu per æstatem mortuis sumitur, aut ex intestinis piscis *Corrigoni Thymalli Fn. Sv. 314.* In parvis calathis premuntur casei, siccantur super scala quadam, que juxta vaporarium posita est in casa. Non hec observantur casei a vermiculis corrupti, procul dubio propterea, quod *Musca finetaria* ibi non reperiatur; saltem hæc N. D. Præsidi, in Lapponia dum versabatur, non apparuit. Caseus gratissimum & valde nutritiens cibi genus, præcipuum quoque alimentum suppeditat per Lapponiam proficiscentibus. Quanta sit pinguedine, facile observatur, dum affletur ante focum, tum enim copiose extil-

exstilla oleum, quod præsentaneum est adversus Perniones medicamentum. Serum a confectione casei residuum, recoquitur, & spissum instar lactis cum ovis cocti evadit; eo præcipue per aestatem ad meridiem & cœnam aluntur Lappones; grati quidem est saporis, sed non diu satiat eos, qui assumerant. *Butyrum e rangiferino lacte, non conficitur, valde enim exigua copia inde obtinetur, album insuper, & sevi instar insipidum.*

Lac non servatur apud Lappones, ut acescat, neque ex eo varias, uti nos solemus, conficiunt epulas, si exceperis, quod *Kappatalmas* (a) suo sermone nuncupant. Hoc paratur ex cremore, qui lacti post coctionem refrigerato inducitur, & detrahitur in sufficienti copia, dein colligitur & augetur immixtis bacis Myrtilli, siccatur postea in modum casei & asservatur. *Lac Hyperboreum Juemo-melke* (b) sequenti modo conficiunt: Folia Ruminis aceto/æ, quæ in Alpibus, quadruplo majora, quam apud nos excrescent, recentia colligunt, ahenum illis replent, aqua superinfusa agitando coquunt, dein serum lactis adfundunt, recoquunt, coctum doliolis vel rangiferinis ventriculis immittunt in terram recondendum, ac edunt tempore hiberno aut vernali.

§. XI.

A festo Matthei usque ad Michaelem, venere aestuant Rangiferi, quo tempore cutem deponunt cornua & graviter feriunt Rhenones. Sæpe usque eo procedit libido, ut hac exhausti, macie plane extabescant & non numquam inde mortiantur. Feminae majores & fortiores mares præ ceteris admittunt, ad eos aufugiunt a junioribus agitatæ, qui hos in fugam conjiciunt. Primo anno mares haud patiuntur feminæ, raro secundo, postea vero quotannis. Neque ante hoc tempus feminis se jungere mares solent.

Tricesi-

(a) *Flor. Lapp. p. 108.* (b) *Fl. Lapp. 93.*

Tricesima tertia post congressum heblomade, id est circa diem Erici in Majo parit femina, duos sepius vitulos quolibet partu.

Mares, magnam partem, dum adhuc teneriores fuerint, castrant Lappones hoc modo: postquam frenulo eos ligarunt, scrotum dentibus mordent, ut contundantur testiculi, postea inter digitos eos magis magisque interne comminuant, ita tamen, ut non vulneretur scrotum. Rangiferis ita castratis, qui reliquis robustiores evadunt, ad vecturas utuntur demigraturi Lappones cum familia a loco in locum. Pingvescunt hi, si cessent a laboribus, alias admissarii plerumque sunt pingviores.

§. XII.

Ultra annos XIV. vel XVI. raro extenditur etas Rhenonis. Qvum circa auctumnum pingvescere incepit mas justae etatis, aut sterilis evasit femina, maculantur, nam alias lege ipsius naturae pereunt. Ex hoc tam exiguo vita curriculo Rhenonum facile colligi potest, quanto errore veteres statuerint Cervum, inter omnia animantia, summam etatem attingere, immo ad mille annorum spatium vitam ejus continuari. Etenim, si illud tempus, quo in utero vel extra illum a matre foventur ova, comparetur cum eo tempore, quo adolescit in justam statu ram juvenis, etas ordinaria animalium plerumque inventitur. Huc accedit adsinitas congenerum, qua Rangifero tam propinquus est Cervus vulgaris, ut facilime adducamus ad credendum, etatem hujus XXX. annos haud superare.

§. XIII.

Rhenones antequam incipiunt prurire maculant Lappones, ne macie confecti, minorem usum praebant. Carnes suspensæ exponuntur æri, ut siccentur; vel etiam gelu aut fumo durantur, in rhedis dein condendæ;

donec Alpes relinquunt oporteat. Tum enim in promtuariis quæ Staburer Incolæ appellant, hoc est, casulis planis fundo, & trunko cuidam ad trium ulnarum altitudinem impositis, ne Ursi aut Gulones eas visitent, conduntur & servantur ad festum Matthai, quo tempore ab uestris graviter vexati Rhenones coquide mactari nequeunt. Totum vero per biem mactantur, hac plenumque habita ratione, ut unus Rheno IV personis qualibet hebdomade consumendus tribuatur. Contra ea verno tempore, quoad fieri possit, ab illis mactandis, parcitur, & pescibus recentibus suppletur victus. Pariet æstate, sero post expressum caseum relicto contentus vivit Lappo, & in etunno, avibus e Tetraonum genere, quas jaculatur globulo, aut capit laqueis. In mactando Rhenone inter primum colli vertebrae cultro penetrat Lappo usque in Medullam spinalem, qua lœsa mox animal delabitur; postea latus thoracis in eor usque transfoditur; sanguis colligitur in Thoracis cavitate. Pellicis separatur ab utraque parte abdominis. Ex corio, quo frons & pedes tecti fuerant, utope firmiori & tenaciorebus instructo pilis, optimi conficiuntur calcei hirsuti Lapponum absque calcaneis de quibus antea diximus. Omnibus fere partibus, que in Rhenone comedи possunt, vescitur Lappo, excepto cerebro & genitalibus. E penne, ut valde tenaci, ligamentum conficitur, quo prora rheda colligatur.

Cornua in acervos cumulantur juxta casas. Sciuri & Vulpes rodunt eorum apices. Gluten hodie ex cornibus concoquitur præstantissimum, & Pharmacopœi e Rauris C. Rhenonis loco C. C. gelatinam conficiunt; sed rauris majori labore obtinetur, & gelatina diutius coquenda.

Qui æstate moriuntur vituli, excoriantur, eorumque e pelibus, quippe quæ sentiuntur moliores, vestes interiores moliores quæ parantur, siquidem linteas ignorat

ignorat Lappo. Immo singula vestimenta, quæ sunt toga (Lappmudd) femoralia & calcei, rangiferinis constant pellibus, hirsuta parte extrosum versa. Harum calor præcipue debetur confortæ densitati pilorum. In casa etiam ad utrumque latus foci, pelles Rangiferinas sternunt Lappones, frondibus Betule nante substratis, ut, juxta ignem molliter decumbant.

Vituli, qui morbo periere, canibus objiciuntur, præter coagulum, quod servatur.

Sanguis e mactatis Kangiferis in doliolis reconditur, ex quo vere ineunte, juscum cum aqua & medulla osium paratur. *Sangvinem* hunc, iter facientes secum ducunt in vesiculis servatum, atque est ille gravi sapore, uti suillus.

Botuli ex sangvine cum adipe sat pingves parantur.

Hepar quod magnum est, destituitur vesica fellea, coctum editur.

Pulmones interdum secantur & eduntur, plerumque tamen canibus relinquntur.

Intestina pingvia sunt, discinduntur, lavantur, coquuntur & Lapponibus sapidum præbent cibum.

Solea Rangiferi, s. pars sub unguis pedes tegens, quæ cocta mollis & gelatinosa evadit, a Lappone editur, rejecta superiori duriorique parte.

Carnes in aqua sine aliis additamentis coquuntur, & que ac pisces, at vero, ut pisces diu coquit Lappo, ita carnes tam parum, ut ab osibus haud sejungantur.

Adeps despumatur in vasculis ligneis & circummititur inter convivandum, ut sibi quisque assumat unum vel alterum cochlear.

Medulla osium grati est saporis & aphrodisiaca.

Vesica plerumque usurpatur loco lagenæ ad servandum spiritum frumenti.

Unico tantum cibi genere fere semper contentus est Lappo.

*Tendines Rhenonum siccantur in sole, in filamenta
finduntur pene innumera & contorquentur radente ma-
xillam manu. Hoc fili genere ad vestimenta pellicea
confuenda linteis aptius est. Illis etiam circumvolvunt
feminæ stannea filamenta, quibus per foramen cujusdam
ossis, dentium ope ductis, vestes venustæ ornant variis
in locis. Porro ex offibus etiam Rangiferinis cochlearia
faciunt.*

Femine Lapponicæ vestes conficiunt.

Mares mulgent pecora & caseos quotidie premunt.

§. XIV.

Pinguedo hujus animalis, non ut in aliis pecoribus
frustatim cohæret, sed intime est admixta fibrillis carneis.

Quum identiden pedem movet Reno, semper
crepitat uti nubes, idque ex eo provenit, quod ut pri-
mum incedet, ample diducat ungulas versus terram pres-
fas, dumque eas extolleat, apices earum ad se invicem
allidantur cum crepitatione.

Ruminare Rhenonem æque ac alia Pecora, dubium
non est, quod quotidie perspicitur, qvum quiescit ad ca-
fam circa fumum, adeo ut Rajus ex analogia congenerum
hoc rectius conjecterit, quam negavit Schefferus ex
professo de hoc agens animali.

§. XV.

Morbi, quibus adficuntur Rhenones sunt varii:

I. *Ostrun*, *Curbma* Lapp. cuius supra mentionem
fecimus. Hoc maxime debilitantur & tertio vitæ an-
no non pauci moriuntur, qvam secundo anno ab illo sint
immunes.

II. *Vermiculi* in palato & sinu frontis generantur
eodem modo ac in equis & ovibus. Hi tempore hiber-
no, ubi vehementius ad currendum agitatur animal, ster-
nutatione ejiciuntur.

III. *Verti-*

III. *Vertigo*, *Ringsjuka*, qua dum laborant Rheones, in gyrum aguntur. Si dextrorum curvissent, medicabilem esse morbum existimat Lappo; sin contra sinistrorum, quasi amissa omni spe salutis, ægri maestantur.

IV. *Anorexia* seu cibi fastidium, morbus junioribus in primis frequens, ut non comedant, sed subsistant atque ruminent.

V. *Fissura mammarum*, ut sanguinem, si mulgeantur, emittant. Nesciunt Lappones inungere succo Pingvieulae, ut diu in Alpibus exteris soliti fuere Pastores ovium & vaccarum, licet copiose in Lapponia crescata hæc planta.

VI. *Herpes* seu *exanthemata* minutissima, quæ etiam in uberibus nascuntur, ibique late serpunt, a quibus non quidem moriuntur feminine, at ora vitulorum eas lactentium, ulceribus inficiuntur, ita ut, qvum se non possint alere, intereant.

VII. *Paronychia*, *Kløf-Sjuka*. Pedes intumescentes circa marginem unguilarum & putrescentes, ex quo claudicat animal, ut gregem sublequi nequeat. Oritur hoc malum præsertim solis æstu per aliquot dies vehementius seviente. Forte Oestro quoque debetur, secundum observationem, quam Itineri Vestg. p. 202. inseruit N. D. Praeses.

VIII. *Cachoete*, *Peekekattja-tacka*, *Fällsjuka* est ulcus in musculosis partibus temoris oriundum, quod parvo tumore incipiens, sicubi deinde aperitur, pus copiose emittit. Postea dum nigrescit & sphacelo quasi corripitur, particulae carnis varie separantur & decidunt: quæ si sanatae succreverint, animal hoc malo liberatur, alias vero moritur. Ulcus, si linixerint Rheones, internis ulceribus saepe afficiuntur & pereunt. Morbus est epidemicus.

IX. *Cachexia*, *Sudda-tacka*, *Tränsjuka*, *Mjåltor*.

est inter pestilera & maxime perniciosa mala , quibus non æstate modo , verum & hieme vexatur Rheno , qui morbus augeri & multiplicari magis quam minui prohibetur , & ante annos XII vel XIV in Lappmarkia Lutensi plane incognitum fuisse (a). Ut primum hoc malo corripitur animal , incipit præter consuetudinem gravius respirare . Nares quasi dilatantur & majores evadunt . Oculos extendit & per aliquot momenta expansos tenet . Tanta tum est ferocia , ut omnes cornu petat & proflernat . Comedit tamen ut sanus , at non ruminat . Decumbit saepius quam ceteri . Omnes hoc infecti morbo pereunt , nec ullum ejus detectum est remedium ; quapropter simulac vel minimum ejusdem morbi signum observaverit Lappo , animal mactat , si aliquem e pellibus usum habebit , quæ in hac consumtis tabe , chartæ instar tenues evadunt . Si aperiantur hoc morbo confeeti , apud varios materia quædam spumosa reperitur in Cerebro & circa Pulmones , in omnibus vero omnia viscera sunt laxa & flaccida , præ ceteris vero Lien quam maxime cernitur lacerasus , parvus & enervatus .

His in morbis , dorsum Rhenonis liquida pice inungere solet Lappo , qua licet non profligentur omnia mala , impediuntur tamen cæstri , ne deponant ova , outem animalis perforantia .

§. XVI.

Nomina , quæ Rangiferis imponunt Lappones , partim propria sunt , partim ætatum .

Nomina secundum annos ætatum hæc habent .

Anno 1) Messi utriusque sexus .

2) Orrya mas , Whenial femina .

3) Watt-

(a) Ut constat ex literis Cl. D. Hollstenii ad N. D. Præsidem , datis Jockmack d. 23. Maij 1754 , qui varia bac de re nobiscum communicavit .

Anno 3) *Wattja femina secunda, at sterilis Whunial rothe.*
Wubbers mas.

4) *Koddutis.*

5) *Kositus.*

6) *Machanis.*

7) *Nammatappatachis.* Ad plures annos vix per-
 veniunt admissarii Rhenones, quippe qui post veneris
 ætatum plerumque moriuntur; castrati vero diutius
 possunt vivere. Ceterum haud paucum mirari conve-
 nit, quod adeo facile quemlibet Rhenonem in grege
 inter centum & plures a se invicem dignoscere & pro-
 prio nomine appellare queant Lappones, licet colorem
 & pilos pro varia tempestate anni mutent, & præci-
 pue cornua, quæ quotannis diversam induunt for-
 manam. Nec verosimile est, quod de Cervo narravit
 Aristoteles, videlicet, si eastretrur eo tempore,
 quo destitutus est cornibus, nullis postea instructum
 iri, aut si tum habuerit, eadem non amplius amissi-
 rum, quandoquidem castratus Rheno cornua & accipit
 & amittit quotannis eodem tempore ac reliqui.

Excrementa hujus animalis ætate molliora sunt,
 ut boum: hieme duriora, ut ovina vel caprina.

Hiberno tempore rhedam trahit Rangifer, fune
 inter pedes medio & regitur loro cornibus adnexo. U-
 nicam tantum personam aut X librarum pondus ferre
 potest, gravius enim raro sustinet. Si urgetur, X
 vel XII millaria potest currendo emetiri, at tum mox
 mactandus est, quoniam fatigatus immotico cursu vi-
 vere amplius haud solet. Et est saepè observatum, eum
 continuo cursu per VI vel VII mill. iter carpere, li-
 cit vix ullo momento sub itinere quiescat. In dor-
 so mollis est, ut ephippium si imponeretur, non ferat.
 Itaque afferculum qualibet a parte dorli injungunt Lap-
 pones & levi onerant pondere, dum ætate ab uno in
 alium locum promovent.

§. XVII.

Feri Rhenones cicuribus duplo sunt majores & duriorem habent pellent. In Alpibus , quas habitant Lappones , ita quidem illi sunt extirpati , ut rarissime nisi in Kemensibus observentur , verum in Alpibus Dakerlicis , quæ Incolis carent , centeni sæpe catervatim vagantes apparent.

§. XVIII.

Ita Rangiferino suo circumdatus grege , omnia habet Lappo , quæ ad vitam sustentandam ei sunt necessaria. In gelida & infœcunda terra summa degit vitam tranquillitate animi ; non extimescit Bellone furores & crudelitates , quæ florentissima imperia prosterunt ; a perpetuo servitutis jugo , sub quo nostri gemunt Agricultore liber est ; a furibus & incendiis fere nihil timet ; myriadas morborum ignorat aliis gentibus communes ; non illi opus est innumera emere venena , quæ melle dulciora sentiuntur , at viscera corrodunt. Scilicet :

non qui multa possider , sed qui paucis indi-
get , dives est.

S. D. G.



Salvator Miserere

Ecc.

Fl. 1

11.452.